



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VII, *Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34vb-35va*
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 7 quaeritur utrum voluntas daemonis sit totaliter obstinata in malo. Videtur quod non, sed quod possit habere voluntatem bonam, quia appetendo bonum habet aliquis voluntatem bonam. Sed angeli possunt appetere /35ra/ bonum, immo appetunt, quia «esse, vivere et intelligere, ut dicit Dionysius; ergo habent voluntatem bonam.

Praeterea, Jacobi I dicitur, quod daemones credunt et contremiscunt. Sed utrumque illorum est bonum; ergo possunt habere voluntatem bonam.

Contrarium dicit Augustinus, *De fide ad Petrum*: Daemones non possunt carere mala voluntate, neque poena. Sed ex mala voluntate semper sequitur malus actus. Ergo semper sunt in malo obstinati.

Ad evidentiam huius quaestionis sunt tria videnda. Primo ostenditur quod propter peccatum daemones non sunt obtenebrati secundum cognitionem. Secundo ostenditur qualiter voluntas eorum est in malo obstinata et causa obstinationis. Tertio ponuntur obiectiones quibus positio haec impugnatur.

Quantum ad primum sciendum, quod «cum peccatum non tollat naturam, sed tantum dirimat habilitatem peccantis in bonum», illa quae sequuntur immediate naturam in daemonibus remanserunt. Unde dicit Dionysius quod data dona angelica, nequaquam mutata dicimus, sed manere integra et splendidissima. Nunc autem inter dona naturae eorum collata et naturam consequentia, unum est perspicacitas intellectus, cum sit quidam intellectus secundum naturam et mentes. Et ideo ista perspicacitas naturalium angelis remansit, cum eorum natura sit maxime intellectualis. Cognitio autem eorum de rebus est duplex. Quaedam enim sunt quorum cognitio per causas naturales vel per signa haberi non potest; et illa non cognoscunt nisi per revelationem spirituum superiorum. Quaedam autem sunt quorum cognitio per naturam haberi potest et sunt in duplici differentia, quia quaedam sunt determinata ad effectus naturales et proprios per causas suas naturales et necessarias; et illa cognoscunt per subtilitatem naturae suae, inquantum in eis resplendent species totius universi et ordinis. Aliqua autem cognoscuntur per aliqua signa, ex quibus potest ut in pluribus certa cognitio haberi, sicut medici pronosticantur de morte vel vita sua; et talia optime cognoscunt per experientiam longi temporis, secundum quod talia signa ad huius effectus pluries concurrant. Sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod, dimissa opinio Origenis contra hoc, qui posuit quod voluntas cuiuslibet angeli sive boni sive angeli alterius potest flecti propter libertatem arbitrii in bonum vel malum, quod est haereticum dicere, tenendum est quaedam voluntas daemonum est in malo obstinata et voluntas bonorum in bono confirmata. Causa autem obstinationis ex parte daemonis est condicione naturae eorum accipienda. Ad cuius evidentiam sciendum quod, cum motus voluntatis sequatur apprehensionem ex modo et diversitate apprehensionis et immobilitate, oportet accipere mobilitatem et immobilitatem in actu voluntatis. Modo ita est quod differenter se habent ad apprehendendum homo et angelus. Illud enim quod angelus apprehendit est sine discursu, cum in illud feratur, immobiliter apprehendit. Sicut homo immobiliter apprehendit prima principia, sed non cognitiones; et ratio est quia ex uno vadit ad aliud per discursum, investigando per rationem probabilem vel necessariam ad alteram partem, etiam cum per talem discursum frequenter ratio varietur. Ideo in hiis quae sunt circa principia mobiliter apprehendit, habens frequenter viam procedendi ad utrumque oppositorum. Et quia voluntas ut in pluribus sequitur rationem, ideo cum



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VII, Graz, *Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 34vb-35va
transcribed by Andrea Colli

angelus sic omnia apprehendat immobiliter, sicut nos prima principia, ideo post talem apprehensionem, sequitur immobilis adhaesio voluntatis, ita quod non est in potestate sua, postquam inclinavit se ad unum, ad contrarium declinare. Et hoc vocamus 'obstinationem voluntatis'. Et hoc est quod consuevit dici quod liberum arbitrium hominis est flexibile ad opposita ante electionem, et post; sed liberum arbitrium angeli ante electionem et apprehensionem non post.

Modo contra ista arguitur multipliciter. Primo quod illa positio videtur favere errori, qui est quod in substantiis separatis non est possibilis transmutatio nec in potentia sunt ad aliquid; istud est enim erroneum.

Praeterea, si voluntas et apprehensio in angelis sit immobilis, a rectitudine in qua conditi fuerunt numquam declinasset, numquam per voluntatem nec per rationem peccasset. Et si non fuissent moti ab illa rectitudine numquam peccasset; quod dicere est erroneum.

Secundo, hoc est contra Gregorium, qui dicit : si substantia angelorum a mutabilitatis motu fuisset aliena unde a creatione condita, nequaquam de reprobis spiritibus aliquis cecidisset. Unde in auctoritate illa manifeste patet quod angeli non immobiliter adhaerent hiis quibus adhaerent.

Tertio arguitur contra rationem positionis sic. Quia quando angelus peccavit, aestimavit possibile, quod ad aequalitatem Dei perveniret, et ex hoc appetiit et per voluntatem declinavit; ergo amota ista causa, sicut modo quia illud iam non aestimat possibile et sic mutatur aestimatio, et per consequens cognitio. Ex hoc etiam sequitur quod sit flexibilis affectus eius, ut possit bonum aliquod velle, et ex /35rb/ hiis dicunt patere, quod causa obstinationis angeli non fuerit immobiliter intelligere et velle, sed voluntas ruendi et consistendi libere, quae extra statum mutabilitatis se libere posuit.

Responsio. Johannes Parisiensis in responsione dicit quod istud non valet. Non enim ex hoc potest assignari ratio, quia primus actus prave electionis ponat angelum prius extra statum mutabilitatis et merendi quam hominem, nisi addatur causa praedicta, scilicet quod voluntas hominis adhaeret alicui mobiliter, non autem angeli, ut dictum est. Unde notandum est secundum alios, quod causa obstinationis quasi non ex una, sed ex duabus causis dependet, quia peccare et esse in malo competit eis ex voluntate, sed immobiliter adhaerere ei, ad quod voluntas se libere inclinavit, competit eis ex modo suae naturae quae est apprehendere immobiliter et immobiliter adhaerere.

Ad primum dicendum quod non sequitur, quod angeli sint omnino sine mutatione, quia ante electionem habuerunt liberum arbitrium vertibile et etiam post electionem variatur per conceptiones quas habent per species innatas, cum non possint omnia simul intelligere». Variantur etiam aliquo modo secundum species supernaturaliter infusas, cum praemium accidentale augeatur in bonis et poena accidentaliter in malis.

Ad illud quod arguitur quod angelus iam non cecidisset a rectitudine illa, in qua creatus fuit, dicendum quod non sequitur, quia illa rectitudo non fuit actualis conversionis in Deum, sed habitualis qua numquam usus est malus angelus, ut dicit Augustinus, Super Genesim ad litteram.

Ad secundum dicendum quod Gregorius loquitur dato quod potentia angelorum fuerit aliena a mutatione respectu supernaturalium, sicut erat respectu naturalium.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VII, Graz, *Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 34vb-35va
transcribed by Andrea Colli

Ad tertium dicendum quod illud quod aestimavit adhuc aestimat. Aestimavit enim quod consideratis naturalibus debeatur sibi aequalitas Dei et adhuc aestimat; et ex hoc peccavit quod illud appetiit et adhuc illud appetiit.

Ad responsiones in contrarium dicendum ad primum quod cum in angelis natura sit bona oportet quod naturalis appetitus eorum sit bonus qui tamen per circumstantias depravatur, quas apponit voluntas deliberativa in quantum esse vel vivere sub tali deformitate peccati sicut luxuriosus desiderat vivere in sua turpi delectatione.

Ad secundum dicendum quod quamvis isti actus in se sint boni non tamen bene fiunt quia coacte et non ex electione bonum quodcumque operantur.

Iuxta hoc quaeritur utrum daemones verum naturalem effectum possint inducere, id est utrum possint inducere formam substantialem vel accidentalem in materia virtute propria.

Dicendum quod circa hoc invenitur duplex error. Fuerunt enim quidam gentiles, qui credebant daemones esse deos; et per modum creationis ipsos in istis inferioribus operari; et iste error tangitur in littera.

Alius fuit error Avicennae, qui posuit omnes formas, quae in materiam inducuntur, procedere a conceptione intelligentiae, ita quod agentia naturalia non faciebant nisi disponere materiam ad introductionem formae, qua disposita infundebatur ab intellectu forma in materia. Unde praeter ordinem motus caeli, poterat eam causare in materia ipsa intelligentia. Et ponebant exemplum de anima, quae corpus informat, quia ad conceptionem animae statim corpus movetur vel in libidinem ad apprehensionem mulieris amatae vel ad casum ex imaginatione intimiore casus; et ad hoc posset fieri talis ratio. Quodcumque sunt causae ad invicem ordinatae secundum prius et posterius, causa prima super causatum plus influit quam secunda; et amota influentia causae secundae, adhuc remanet influentia causae primae. Sed istae sunt sic ordinatae, scilicet virtus agentium naturalium, motus caeli et influentia substantiae separatae, ita quod virtute substantiae illius movetur caelum, virtute autem caeli agunt ista inferiora agentia. Ergo amoto motu caeli et influentia agentium inferiorum, adhuc potest produci forma in materia a substantia separata. Ratio est probabilis, sed ista ratio non concludit, quia, quamvis plus influat in quam secunda agit, in virtute primae tamen non semper agens principale sine instrumento potest inducere effectum principale, sicut artifex sine securi non potest producere archam. Modo isti effectus et formae substantiales nati sunt producti per motum ab agente naturali vel per creationem, ut a Deo; ideo non potest eos immediate producere substantia separata. Nec valet exemplum de anima, quia ipsa non tantum est motor, sed forma. Est etiam appetitus sensitivus motus subiectus imperio rationis. Unde dicendum quod virtute propria daemones neque formam substantialem neque accidentalem, neque quicumque angelus producere potest. Cuius ratio est quia, cum fieri sit via in esse, eius proprie est fieri, cuius est esse. Sed constat quod nec forma proprie est nec materia, sed toti composito debetur esse, ergo ab isto est producere formam in materia, a quo habet causari et esse totum compositum. Sed omne quod fit, fit a suo simili, quia omne agens agit sibi simile. Unde forma in materia non fit nisi ab agente, cuius forma est in materia, ut dicitur VII Metaphysicae; vel ab eo in cuius virtute totum compositum quantum ad materiam et formam



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VII, Graz, *Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 34vb-35va
transcribed by Andrea Colli

continetur, /35va/ quod est proprium Dei. Ergo causalitas compositi non potest fieri a forma immateriali, nisi a Deo, sed oportet quod sit ab agente naturali composito ex materia et forma. Error autem precedentium perveniebat ex hoc quod credebant formam per se fieri et ita esse ab aliquo formali principio, ut ab angelo, quod falsum est. Unde quod daemones videntur operari aliquos effectus naturales, hoc non est quia ibi operentur immediate, sed quia sciunt ad determinata passiva coniungere determinata activa, ex qua coniunctione potest sequi aliquis affectus naturalis.

Notandum quod tria sunt genera effectuum. Quidam enim est effectus novus, sine alicuius formae introductione vel per divisionem partium a toto, sicut fit idolum per sculpturam, vel per coniunctionem aliquorum ad invicem, sicut per coniunctionem lapidis fit pons. Talis effectus potest fieri per daemones, quia fit solum per motum localem. Alius effectus est qui non fit sine formae introductione, sicut leo, vermis. Et istum effectum non potest facere daemon, nisi applicando debita activa debitis passivis. Alius est effectus qui non fit sine formae substantialis introductione super ipsum tamen non potest agens naturale, sicut resuscitatio mortui; et in hunc non potest angelus, nisi quadam illusionem.

TEACHPRO